



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 62. Vtrum Deus creaturas rationales possit amare, & de facto amet amore amicitiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

acriter amat omnes creaturas existentes; sed amor, quo Deus creaturis vult existentiam, est idem cum essentia diuina, & est infinitè perfectus in genere amoris; ergo Deus omnes creaturas existentes amat amore infinito ex parte amoris, & æquali, immo penitus eodem; sed Deus creaturis vult bonum inæquale, quibusdam maius, quibusdam minus, & melioribus vult hoc ipsum, vt sint meliores; ergo Deus amat creaturas inæqualiter ex parte boni voliti, & vnamquamque tantum amat, quantum est bonum, quod illi vult.

13. Dicendum quartò: Deus etiam creaturas possibiles amat aliquo amore. Probatur: nam Deus creaturis possibilibus vult possibilitatem, & complacet de hoc, quod sint possibiles; sed possibilitas est aliquod bonum rei possibilis; ergo. Probatur minor: ex Aristotele enim 1. Rhetor. cap. 6. *Bonum est, quod omnia appetunt, vel appetere si haberent intellectum*; sed possibilia, si haberent intellectum, appetere suam possibilitatem, & de illa gauderent; ergo &c. Adde, quod Deus possibilibus potest velle aliqua bona sub conditione, quod habuisset hanc, vel illam scientiam mediam: putat potest habere decretum liberum aliquos creandi, & beatificandi, sub conditione, quod per scientiam mediam vidisset illos consensuros his auxilijs; sed velle alicui bonum sub aliqua conditione est illum amare aliquo amore conditionato; ergo Deus possibilia potest amare aliquo amore conditionato.

14. Ad 1. distingo maiorem: amor appetitus sensitui est passio, concedo: amor, & gaudium appetitus intellectui, hoc est voluntatis, est passio, nego: concedo maiorem; & nego consequentiam. Amor appetitus intellectui, seu voluntatis non est passio, sed est actus dicens perfectionem simpliciter simplicem, & abstrahens ab omni imperfectione, ideoque debet conuenire Deo. Desiderium, & tristitia, & alia huiusmodi, etiam in quantum sunt appetitus intellectui, dicunt imperfectionem, ideoque non conueniunt Deo.

15. Ad 2. distingo maiorem: amor, quo quis amat alterum à se, ponit amantem extra se, in quantum facit, vt amans sicut vult bonum sibi, sic velit bonum amato, concedo; in alio sensu, nego: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Non est indignum, sed est conuenientissimum summo bono, vt sicut vult sibi bonum, ita velit etiam, & det bonum alteri, & sic quodammodo se effundat extra se; ergo non est indignum Deo, vt amet etiam creaturas.

16. Ad 3. concedo maiorem, & distingo minorem: Deus non potest eosdem amare, & odio habere in ordine ad diuersa, nego: in ordine ad eadem, transeat; & nego consequentiam. Deus peccatores odio habet in quantum abominatur illos propter malum culpæ, & vult illis malum pænæ: eosdem etiam aliquo diligit, in quantum vult illis bonum

existentiæ, & bonum naturæ, ac de tali bono complacet. Adde, quod si ipsum peccatum identificatur cum aliquo bono, Deus ita odit simpliciter peccatum, vt in eo amet secundum quid bonum, cum quo identificatur. Vnum quodque enim in quantum habet aliquid boni, aliquo diligitur à Deo.

17. Ad 4. nego minorem, ac dico, quod quia Deus etiam possibilibus vult bonum possibilitatis, etiam possibilia aliquo diligit.

18. Ad 5. distingo antecedens: potest Deus æqualia inæqualiter amare simpliciter, & absolute, nego: potest inæqualiter amare, secundum quid, & conditionatè, concedo; & distingo eodem pacto consequens. Amare simpliciter, & absolute est velle alicui bonum simpliciter, & absolute; sed Deus æqualibus vult conferre simpliciter, & absolute bonum æquale; melioribus vult simpliciter, & absolute conferre bonum maius; ergo æqualia simpliciter, & absolute æqualiter amat, meliora simpliciter, & absolute magis amat. Velle alicui bonum, non absolute, sed solum conditionatè conferendum, est illud amare solum secundum quid, & conditionatè; ergo ex eo, quod Deus ex duobus æqualibus possit velle vni conferre aliquod bonum sub aliqua conditione, sub qua non velit conferre alteri, sequitur solum, quod vnum secundum quid, & conditionatè magis amet, quam alterum, non autem quod magis amet simpliciter, & absolute.

QVÆSTIO LXII.

Vtrum Deus creaturas rationales possit amare; ac de facto amet amore amicitie?

1. Videtur non posse: primò ex Aristotele 8. Ethicorum cap. 2. ad amicitiam requiritur, vt sit *mutuus amor*, non *latens*: sed homines in hac vita ignorant, vtrum à Deo amentur: *nescit enim homo, vtrum amore, an odio dignus sit*, vt dicitur Ecclesiastici 9. ergo.

2. Secundò ex eodem Aristotele primo Ethicorum cap. 5. *amicus est, qui que bona amico fore putat, ea propter ipsum agit amicis*; sed homines non possunt facere Deo vllum bonum, Deus autem licet faciat homini multa bona, tamen illa facit, non propter homines, sed propter ipsum Deum; siquidem, vt dicitur Prouerb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Deus*; ergo &c.

3. Tertiò ex Aristotele 8. Ethicorum cap. 5. amicitia ordinatur ad hoc, vt amici inuicem conuiuant, & conuersentur: sed homines non possunt cum Deo, & Angelis conuiuere, & conuersari, vt Daniel. 2. Sapientes Chaldeorum dixerunt Nabuchodonosor regi; ergo.

4. Quartò ex Aristotele 9. Ethicorum cap. 11. domini ad seruum vt seruum dari non potest amicitia; sed homo, & omnis creatura essentialiter est serua Dei; ergo &c.

5. Quintò

5. Quintò ex Aristotele 7. *Moralium ad Eudemum*, cap. 5. ad amicitiam perfectam requiritur, ut amici sint æquales, vel non valde inæquales; sed Deus, & creatura habent infinitam inæqualitatem; ergo. Ideò idem Aristoteles 2. *magnorum moralium*, cap. 12. docet dari non posse amicitiam inter Deum, & hominem.

6. Sextò ex Aristotele 8. *Ethicorum* cap. 13. & 14. ad amicitiam requiritur, ut amici præstent sibi inuicem æqualia, vel proportionalia; sed homines non possunt Deo dare æqualia, neque proportionalia *ijs*, quæ accipiunt; ergo &c.

7. Septimò ex Aristotele 8. *Ethicorum*, cap. 6. in amicitia perfecta non possunt esse multi amici; sed Deus esset amicus omnibus iustis, qui sunt plurimi; ergo &c.

8. Octauò ad amicitiam perfectam requiritur, ut amicus, si potest impedire, nè amicus peccando incidat in æternam miseriam; impediat; sed Deus solos iustos prædestinatos impedit, ne peccando incidant in æternam miseriam; ergo videtur Deus esse amicus non omnibus iustis, sed solis prædestinatis.

9. Respondeo, quod amicitia ex doctrina Aristotelis 8. *Ethicorum*, cap. 2. definiri potest: *Mutua benevolentia non latens, qua aliqui bona sibi volunt, & conferunt ad inuicem, gratia alterius, & volunt inuicem conuiuere, & mutuo delectari de bonis alterius.*

10. Quatuor igitur ad veram amicitiam requiruntur conditiones. Prima est, ut amicus ametur, tamquam finis *cui*, & propter ipsam amicum, adeoque amore benevolentiae, & non solum amore concupiscentiae, hoc est propter nostram delectationem, vel utilitatem, eo pacto, quo amatur equus, panis, vinum &c. quia sunt nobis vtilia, & iucunda. Secunda conditio est, ut amor sit mutuo notus. Ideò qui se mutuo diligunt, sed hoc ignorant, sunt quidem mutuo beneuoli, & ad amicitiam dispositi, sed adhuc non sunt amici. Tertia est, ut amici se mutuo ament amore non purè speculatiuo, sed practico, & actiuo, ita ut velint efficaciter sibi mutuo conferre bona, saltem illa, quibus non collatis, potest rationabiliter dissolui amicitia. Quarta est, ut amici velint inuicem conuiuere, & mutuo delectari de bonis alterius. Vt enim docet Aristoteles 8. *Ethicorum*, cap. 5. actus conuiuendi est præcipuus inter actus amicitiae, & est finis amicitiae, & ideò qui se mutuo diligunt, sed nolunt conuiuere, & conuersari, sunt potius beneuoli, quam amici, & qui propter ætatem, vel nimiam quamdam seueritatem sunt parum iucundi in conuictu, sunt parum apti ad amicitiam, ut loco citato Aristoteles docet.

11. Hoc posito, dicendum primò: inter Deum, & creaturam naturaliter dari non potest vera, & propria amicitia. Probatur: nam amicitia ordinatur ad hoc, ut amici inuicem conuiuant, & conuersentur, ideoque qui naturaliter non possunt inuicem conuiuere, &

conuersari, naturaliter non possunt esse amici; sed Deus, & creatura naturaliter non possunt inuicem conuiuere, & conuersari; ergo &c. Probatur minor: ad conuiuendum enim requiritur, ut amici possint se mutuo videre, & intuitiue percipere; sed nullus intellectus creatus potest naturaliter videre Deum, illumque intuitiue percipere, ut dictum est quæst. 25. ergo.

12. Dicendum secundò: inter Deum, & hominem, aliasque creaturas intellectuales, potest supernaturaliter dari amicitia.

13. Probatur primò: nam Psalmo 138. dicitur: *Nimis honorati sunt amici tui Deus; Sapientiae 7. Participes facti sunt amicitia Dei.* Lucae 13. *Vos amici mei estis:* Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos.* Confirmatur: nam possumus esse filij adoptiui Dei, ideoque Ioan. 1. dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri:* sed inter patrem, & filium adoptiuum dari potest, & debet vera amicitia; ergo &c.

14. Probatur secundo: Deus enim, & homo possunt supernaturaliter se mutuo diligere amore habente quatuor conditiones explicatas in definitione amicitiae; ergo &c. Probatur antecedens, discurrendo per singulas conditiones.

15. Prima conditio est, ut amicus velit amico bona propter ipsum amicum, & non solum propter commodum, & utilitatem amantis; sed Deus vult conferre homini bona gratiae, & gloriae, ut bene sit ipsi homini, non autem propter commodum, vel utilitatem Dei, siquidem Deo ex bonis nostris non prouenit vlla utilitas, & vllum commodum: proportionaliter homines iusti volunt Deo dare bona extrinseca honoris, gloriae, laudis, impletionis præceptorum, ut per hæc Deus glorificetur, adeoque amant Deum, ut finem *cui* gloriae; ergo.

16. Dices: Deus dat homini bona supernaturalia propter semetipsum, & propter suam gloriam extrinsecam; ergo habet se ipsum ut vltimum finem *cui* totius gloriae: sed repugnat amicitiae, ut amicus habeat se ipsum, ut vltimum finem *cui*; ergo &c.

17. Respondeo, distinguendo antecedens assumptum: repugnat amicitiae, ut amicus habeat se ipsum, ut vltimum finem *cui* totius gloriae, quam ponat in hoc, ut bene sit amico, habendo amicum pro fine *cui* totius utilitatis, & commodi, nego: non habendo amicum, pro fine *cui* utilitatis, concedo: & nego consequentiam. Ad amicitiam requiritur, & sufficit, ut amicus velit amico bona, ut bene sit amico, habendo amicum ut finem *cui* commodi, & utilitatis. Posito tamen hoc, non imminuit, sed auctum actum amicitiae, quod amicus ex excessu bonitatis, & amoris ponat suam gloriam in hoc, ut bene sit amico, & benefaciat amico, ad hoc, ut benefactor glorificetur ex eo, quod bene sit amico: sed Deus vult nobis bona supernaturalia, ut bene sit nobis, sine vilo Dei commodo, vel utilitate, &

ex

ex excessu bonitatis, & amoris constituit suam gloriam in hoc, quod bene sit nobis; ergo &c.

18. Secunda conditio est, ut amor sit mutuo notus; sed Deo notus est amor actualis, & habitualis, quo diligitur à iustis: iustis autem per fidem notum est, quod si amant Deum, redamantur à Deo: nam Prouerb.8. Deus dicit: *Ego diligentes me diligo*; ergo &c.

19. Non obstat, quod iusti in hac vita non sciunt certo, utrum ament Deum, adeoque utrum absolute redamantur à Deo. Ad amicitiam enim naturalem non requiritur, ut amicus sit certus de hoc, quod redametur ab amico, sed sufficit, ut valde probabiliter id conijciat ex signis, & effectibus; ergo à fortiori ad amicitiam cum Deo sufficit, ut simus certi, quod si amamus Deum, redamamur à Deo, & ut ex signis probabiliter possimus conijcere nos amare Deum. Addo, quod amicitia cum Deo ultimo perficitur in patria, ubi beati euidentissimè vident se amare Deum, & à Deo redamari.

20. Tertia conditio est, ut amici se mutuo ament amore practico, quo efficaciter velint, & faciant sibi mutuo bona: sed Deus amat homines amore practico, quo illis confert bona supernaturalia gratiæ: homo amat Deum amore practico, quò vult efficaciter Deo dare bona extrinseca honoris, gloriæ, laudis, obseruantia præceptorum, & omnia, quæ si non faciat, Deus rescindit amicitiam; ergo &c.

21. Quarta conditio demum est, ut amici velint simul conuiuere, & conuersari; sed Deus ita amat iustos, ut si perseverauerint in amicitia, velit illis in æternum conuiuere, & conuersari in supernaturali beatitudine: iusti etiam ita amant Deum, ut velint in æternum conuiuere Deo, videntes Deum facie ad faciem, & in æternum amantes Deum; ergo &c.

22. Ad 1. 2. & 3. patet ex dictis.

23. Ad quartum ex Aristotele loco citato, dominus si vtatur seruo, ut seruo, referens illum præcisè ad vtilitatem domini, non potest erga seruum exercere amicitiam; at si vtatur seruo, ut homine capaci felicitatis, & conuiuius cum domino, & velit seruo gratia ipsius serui, ut sit felix, & ut feliciter conuiuat domino, potest esse amicus seruo. Et quidem, si bonum sit seruo manere seruum, dominus ex amicitia potest velle, ut seruus permaneat seruus; ergo si Deus velit hominem esse felicem, & Deo conuiuere, ut bonum sit homini, & velit hominem permanere seruum Deo, quia bonum est homini seruire Deo, siquidem *Deo seruire regnare est*, Deus exercet amicitiam erga hominem.

24. Ad 5. distinguo maiorem: ad amicitiam, quæ in amico præcellenti non supponat excessum quemdam amoris, requiritur, ut amici sint æquales, vel non valde inæquales, concedo: quæ supponat excessum amoris in amico præcellenti, nego. Æqualitas requiritur ad amicitiam proportionaliter, ac ad matrimonium. Sicut igitur ad matrimonium re-

quiritur, ut coniuges sint æquales, vel penè æquales, nisi in coniuge præcellenti detur excessus amoris, ex quo velit se dimittere ad contrahendum matrimonium cum valde inferiori: si autem in præcellenti detur excessus amoris, Imperator totius mundi posset contrahere matrimonium cum rustica, & cum illa seruare omnes leges perfecti matrimonij: sic potest Imperator totius mundi ex excessu amoris contrahere amicitiam cum rustico, & cum eo seruare leges amicitia. In casu nostro Deus ex quodam inexplicabili excessu amoris infiniti contrahere vult amicitiam cum creatura, & cum illa seruare leges amicitia. Aristoteles negans dari posse amicitiam inter Deum, & hominem, vel solum negat dari posse naturaliter, vel si negat dari posse simpliciter, & absolute, errauit, quia lumine naturæ non potuit intelligere Deum esse ita bonum, ut ex excessu amoris possit contrahere amicitiam cum creatura.

25. Ad 6. distinguo maiorem: ad amicitiam requiritur, ut amici præstent sibi æqualia, vel proportionalia, & hæc proportio consistit in eo, ut vterque præstet alteri, quæ rationaliter exigit, concedo: & non sufficit hæc proportio, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Ad amicitiam sufficit, ut amici præstent sibi mutuo proportionalia proportionem consistente in hoc, ut vterque præstet alteri quæ ille rationaliter exigit: sed Deus ita præstat homini bona supernaturalia, per quæ sanctificatur, & beatificatur, ut exigit ab homine sibi rependi perpetuum amorem, laudem, gratiarum actionem, obedientiam &c. hæc autem homo potest Deo præstare; ergo &c.

26. Ad 7. distinguo maiorem: in amicitia non possunt esse multi amici, cum multitudo amicorum iunxit amorem, & impedit actus amicitia, concedo: cum non impedit, nego. Deus cum habeat capacitatem infinitam potest multos amicos perfectè diligere, non minus, quam vnum tantum, & potest omnibus in vita æterna conuiuere exercendo cum illis actus amicitia; ergo potest esse amicus omnibus iustis, etiam si essent infiniti.

27. Ad 8. distinguo maiorem: ad amicitiam perfectam, dum adhuc est dissolubilis ex culpa vnius amici, requiritur, ut amicus, si potest impedire, nè alter amicus peccando incidat in æternam miseriam, impediatur, si hæc obligatio auferat dissolubilitatem amicitia, nego: si non auferat, transeat. Deus cum iustis in vita præsentis contrahit amicitiam adhuc dissolubilem culpa ipsorum; sed si Deus teneatur impedire, nè iusti peccando dissoluant amicitiam, eo ipso amicitia cum iustis redderetur indissolubilis; ergo Deus ad hoc non tenetur: alioquin non posset Deus contrahere aliam amicitiam, quam omnino indissolubilem, qualem contrahit cum beatis, non autem dissolubilem, qualem regulariter contrahit cum viatoribus. Deus autem debet posse contrahere

Cc

trahere

trahere amicitiam, non solum indissolubilem, sed etiam solubilem ex culpa hominis, adeoque sine obligatione impediendi peccatum, per quod solvatur ex culpa hominis.

Q V Æ S T I O LXIII.

*Vtrum in Deo dentur virtutes voluntatis,
ac præsertim Misericordia,
& Iustitia?*

S. Th. q. 21. a. 1. 2. 3. & 4.

1. **P**rimò videntur in Deo non dari propriè virtutes. Virtutes enim sunt habitus, qui sunt medij inter potentiam, & actum; sed Deo, cum sit actus purus, repugnat habitus; ergo &c.

2. Secundò videntur in Deo non dari virtutes morales, sed dari sola charitas, quæ est virtus theologia. Virtutes enim morales amant aliquam honestatem creatam, vt obiectum formale; sed Deus solam suam bonitatem increatam amat vt obiectum formale, vt dictum est quæst. 43. num. 4. ergo &c.

3. Respondeo, ac dico primò, quod ex virtutibus volutatis charitas, quæ est virtus theologia, propriissimè est in Deo, ac magis propriè conuenit Deo, quam virtutes morales.

4. Probatur: nam charitas est, quæ Deus amatur efficaciter propter suam bonitatem, tanquam propter adequatum obiectum formale, cætera verò amantur, vel odio habentur propter bonitatem diuinam; sed Deus ita seipsum efficaciter amat propter suam bonitatem, tanquam propter adequatum obiectum formale, vt cætera amet, vel odio habeat, velit, vel nolit, aut permittat, propter suam bonitatem; ergo &c. In hoc sensu ita rigoroso Deus non habet virtutes morales, quia licet velit facere actiones iustitiæ, liberalitatis &c. & amet honestatem creatam, quæ est obiectum formale virtutum moralium, tamen talem honestatem vt potè creatam non amat propter seipsam, tanquam propter obiectum formale, sed purè amat propter bonitatem diuinam, quæ est obiectum formale charitatis. Dicitur ergo Deus habere aliquas virtutes morales, quatenus perfectè amat honestatem propriam ipsarum, & ex eius amore optimè se habet ad exercendas actiones talium virtutum, & licet honestatem propriam ipsarum, vt potè creatam non habeat pro obiecto formali, tamen habet pro obiecto formali suam bonitatem, in quantum continet adequatè honestatem creatam virtutum moralium.

5. Dicendum secundò: virtutes morales, quæ ponunt modum passionibus, non sunt in Deo propriè, sed solum metaphoricè. Probatur: nam essentia talium virtutum consistit in hoc, vt ponant debitum modum passionibus; e. g. essentia temperantiæ consistit in hoc, vt ponat debitum modum concupiscentiæ volu-

ptatum spectantium ad gustum, & tactum: essentia fortitudinis consistit in hoc, vt ponat debitum modum timoribus, & audacijs; sed Deus est incapax passionum; ergo &c.

6. Dicendum tertio: virtutes morales, quæ versantur circa actiones, & quæ in suo conceptu formali non includunt imperfectionem, propriè conueniunt Deo: e. g. Deus propriè dicitur iustus, liberalis &c.

7. Probatur: nam propriè iustus est, qui dat vnicuique quod illi debetur secundum proportionem suæ dignitatis, & prout postulat bonitas, & sapientia dantis, amans hanc ipsam honestatem propter se ipsam, vel propter obiectum formale, in quo adequatè contineatur; sed Deus dat omnibus creaturis quæ illis debentur secundum proportionem dignitatis: dat enim omnibus substantijs proprietates debitas, & conuenientes secundum suam naturam; dat etiam præmia, & poenas pro meritis, & amat honestatem sic dandi propter suam bonitatem, tanquam propter obiectum formale, quod continet adequatè omnem bonitatem creatam; ergo &c. Liberalis propriè est qui dat ita, vt intendat solam vtilitatem accipientis; sed Deus ita dat, vt nullam dando intendat vtilitatem propriam, sed purè intendat vtilitatem creaturarum; ergo &c. Misericordia conuenit Deo, non quoad affectum, sed solum quoad effectum. Affectus enim misericordiæ est tristitia de miseria, vel de defectu alterius: effectus misericordiæ est auferre miseras, & defectus alterius; sed Deus est incapax tristitiæ, & per sua opera semper auferit defectus creaturarum; ergo. Obedientia, gratitudo &c. licet versentur circa actiones, tamen non conueniunt Deo, quia in suo conceptu formali includunt imperfectiones indignas Deo: e. g. obedientia est, quæ amat honestatem obediendi superiori, & ex amore talis honestatis superiori obedit; sed Deus non habet superiorem; ergo est incapax obedientiæ. Gratitudo est, quæ amat honestatem referendi gratiam pro beneficio accepto; sed Deus est incapax accipiendi beneficium: *Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei?* vt dicitur ad Rom. 11. ergo in Deo non datur gratitudo. Videri potest S. Thomas 1. parte quæst. 21. & Ruiz de Voluntate Dei, quæst. 55.

8. Addo ex S. Thoma art. 4. quod in omnibus operibus Dei exercetur misericordia, & iustitia. Ratio est, quia iustitia est, per quam vnicuique datur quod illi debetur secundum proportionem suæ dignitatis, & prout postulat bonitas, & sapientia dantis; sed Deus in omnibus suis operibus dat vnicuique quod illi debetur secundum proportionem suæ dignitatis, prout postulat bonitas, & sapientia ipsius Dei, qui dat; ergo. Misericordia consistit in hoc, vt creatura liberetur ab aliqua miseria saltem latè sumpta, seu defectu; sed Deus per omnia sua opera creaturis dat aliquod bonum, easque liberat ab opposito defectu carentiæ talis boni; ergo &c. Addit S. Thomas in respon-

sione